

EXEGESIS.

Hactenus explicata sunt *indicia generalia*, & omnibus delictis communia, in posterum traduntur *indicia specialia* quæ in singulis criminibus reperiuntur. Ubi notandum, 1. Quod singula sint intelligenda in tota sua latitudine, prout nimirum debitum adminiculis sunt munita; sic ut quandoque unus *articulus* plura *indicia* comprehendat, quæ non separatim, sed conjunctim sumi debent ad producendum torturæ effectum. Dicitur autem unum *indictum* ab Imperatore per aggregationem, quia ex multis *indiciis* est coacervatum. 2. *Indicia* hæc *specialia* itidem pro varietate circumstantiarum varia esse ac difformia, nec omnia enumerari posse certum est; attamen cum frequentium quorundam delictorum *indicia*, quæ plerumque sese exserunt, & de veritate facti aliquam fidem facere possunt judici, Sanctio nostra criminalis exprimat, quibus & alia ab interpretibus sunt addita; ideo ordine in praescriptum ab Imperatore seqvemur.

Et primùm agitur de *Homicidii clandestini* *indiciis* legitimis. *Visus* cum armis aut vestimentis sanguine conspersis in ipso vel propinquo loco homicidii perpetrati, & eō tempore, quod homo occisus est, tuin reus satis suspectus est, seu prægnanti suspicione gravatur, ut proinde torturæ possit subjici. Qvod etiam *indictum* Menoch. l. 2. Cent. 3. casu. 270. n. 18. p. 528. de A. I. Quod vocat *Proximum*: Farinac. l. 1. tit. 5. qu. 52. n. 50. p. 794. Oper. Crimin. illud appellat *Vehementissimum*. Item quando diffamatus fugit cum cultello cruento è loco, in quo homicidium vel illo temporis articulo est commissum, vehementissimum est *indictum* ad torturam, modò constiterit cultellum ad fugientem & suspectum pertinere. Ratio desumitur ex facti qualitate: quandoqvidem homo est intersectus: delatus gladius & cultellus in isto loco & tempore, quod homicidium perpetratum est, reperitur sanguinolentus, & hoc à testibus juratis ita affirmatur, inde certum & efficax desumitur *indictum* ad torturam. Farin. d. quæst. n. 51. p. 794. Oper. Crimin. Tria itaque hæc copulari debent, adhoc, ut reus torturæ possit subjici. 1. Ut *visus* sit in loco commissi homicidii, vel etiam loco propinquo. 2. Tempore perpetrati homicidii, id est, ut illo temporis momento, quod homicidium est commissum, suspectus ibi *visus* fuerit. 3. Cum gladio seu telo cruento: quod certè *indictum* urgentissimum est: nam quâ ratione gladius foret cruentus, nisi eō fuisset vulnus alteri inflictum,